



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

471. An, & qualiter confirmari possit indignus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

cors, si sit à maiore parte consentiente in scrutinio; ita etiam, ut secundum Bald. scrutinium tale dicitur factum unanimiter fictione juris; ac propterea talis electio, si aliunde quoque valida est, sic necessario confirmanda. Quin & de cetero, ubi in electione servanda non est forma *c. quia propter*, sed is censetur electus, qui plura habet suffragia, potest eundem confirmare habens confirmare. Pass. loc. cit. n. 130. Et si multò magis hæc dici possit electio in discordia. Imò secundum jus antiquum confirmari poterit electio, & unus ex electis, etiam si vocales, seu habentes jus suffragii, se in partes aequales divisissent. Pass. cit. n. 128. Et potest adhuc id fieri (ubi forma *c. quia propter*, non est servanda) dum suffragia in duas divisa sunt partes, præferendo tamen illum ex duobus, qui maioribus meritis & magis idoneus fuerit. Azor. p. 2. l. 6. c. 25. q. 4. juxta *c. si forte. d. 63*. Ubi verò unus electus, alter postularus, postulatio admittenda, si postulantium numerus numero eligentium fuerit major, aliàs confirmanda electio. Azor. loc. cit. q. 5. juxta *c. scriptum. de elect.* sed de his supra.

Questio 468. An confirmari possit, cuius electio facta per abusum secularis potestatis?

Respondeo negativè. Donat. tom. 2. tr. 7. q. 11. Laym. in cap. quisquis. de elect. n. 8. ubi cum communi: si is, qui per abusum laicæ potestatis electionem accepit, non præcedente dispensatione à Superiore, confirmationem accipiat, titulum non consequitur; quia electio, quæ non consistit, non confirmatur, ut Felin. in *c. postulasti. de rescript. n. 5*. Et is, qui à manu potestatis laicæ Ecclesiasticam dignitatem recipit, inhabilis redditur, ut promoveri dein ad eandem aliamve nequeat sine dispensatione, ut Laym. *ibidem* cum communi. Unde si eandem à Superiore Ecclesiastico obtinere velit, explicare debet hanc inhabilitatem suam, & vitium intrusionis, si administrationi quoque se ingererat. Laym. loc. cit. citans Felin. ubi ante. & Abb. in cit. *c. quisquis. n. 2*.

Questio 469. An electus invitus confirmari possit?

Respondeo: electio, electo invito, non potest confirmari. Pass. de elect. c. 33. n. 56. citans Gl. in cap. innotuit. de elect. & Abb. *ibid.* n. 13. Donat. tom. 2. tr. 6. q. 6. n. 1. Tamb. de iure Abb. 10. 1. d. 6. q. 2. n. 11. cum enim inter eligentes, qui representant ipsam Ecclesiam, & electum contrahatur matrimonium spirituale; juxta *c. inter Canonicos. de elect.* requiritur consensus, non tantum eligentium, sed etiam electi, qui est futurus sponsus. Tamb. Donat. *ibid.*

2. Potest nihilominus Religiosus electus compelli ad acceptandum officium. Castell. de elect. c. 14. n. 12. Abb. in *c. non est. de regular. n. 4*. Tamb. loc. cit. n. 13. Pass. loc. cit. Donat. loc. cit. n. 2. Tradit nihilominus Donat. loc. cit. q. 15. quod electus & confirmatus, qui tamen noluit Prælatam & confirmationem acceptare, in Dominicanorum Ordine non possit dein Prælatam & sponsus dici Ecclesiæ, ad quam fuit electus, nisi largè & improprie, cum desit ei unum de substantialibus requisitis, nempe consensus. Idque eò fortius; quia in illo Ordine, etiam unanimiter electus & confirmatus quomodocunque, jus nullum ad illam Prælatam acquirit, nisi consentiat liberè. Unde confirmatio

P. Lauren. Fori Benef. Tom. II.

in illo Ordine nisi acceptetur, non aufferit vacantiam, v. g. Prioratûs, sed eadem vacantia adhuc perseverat; unde jus eligentium revertitur ad eligentes, qui sine fraude fuerunt, quod in se est, eligendo intra tempus capacem.

Questio 470. An confirmari possit electus, qui à confirmatore præsumitur male reclusus?

Respondeo: etiam unanimiter electus, qui à confirmatore prudenter præsumitur male reclusus, v. g. laxaturus disciplinam religiosam, eò quod noverit, eum esse negligentem in observantia regulari, non potest sine peccato gravi confirmari. Pass. loc. cit. n. 146. ubi ait, hoc non esse proprium sui Ordinis, sed esse juris communis, imò naturalis & divini; citatque pro hoc Peyr. in formul. lit. E. c. 18. n. 6. in fine. Unde etiam concessum similibus confirmatoribus, seu Superioribus regularibus, habentibus confirmare electiones suorum, ut confirmet eas, si eis visum fuerit expedire. Clem. Exivi. de verb. signif. (in qua licet id statutum pro Minoribus, competere tamen omnibus Regularium Superioribus, probat Pass. loc. cit. n. 148. ex Barbof. tum quia ratio istius constitutionis est generalis: tum quia, quando Princeps vni Præsidi rescribit, omnibus rescripsisse censetur, ut Jason. in l. 1. ff. de conscrip.) Pass. cit. n. 148. qui rectè tamen addit, clausulam illam: *si videbitur*: importare arbitrium boni viri regulandum secundum leges & rectam rationem: adeoque non posse talem confirmatorem ex qualibet præsumptione cassare electiones, sed præsumptionem debere esse rationabilem & proportionatam gubernio Ecclesiæ visibilis; adeoque debere inniti rationi, quæ, si opus sit, possit ab Ecclesia sciri & duci. Vide de hoc plura supra, ubi num teneatur confirmator reddere rationem negatæ à se confirmationis, seu cassatæ electionis.

Questio 471. An, & qualiter confirmari possit indignus?

Respondeo primò: electio indigni confirmari nequit, quia hoc est contra jus naturæ, & divinum, & canonicum, quod inhabilis & indignus promoveatur ad ecclesiastica officia. Pass. loc. cit. num. 117. citans Peyr. de subd. p. 1. q. 31. §. 11. Donat. p. 2. tr. 7. q. 7. citans Ledem. p. 2. tr. 7. concl. 7. difficult. 7. Peccat proinde mortaliter talis confirmator, & tenetur ad omnia inde secuta damna, Barbof. juris Ecclesiæ. l. 1. c. 19. n. 253. citans Pet. Nav. de rescript. tom. 1. l. 2. c. 2. n. 156. Joan. Valer. de different. inter utrumq. for. v. electio. difficult. 1. n. 4. Addit tamen Pass. quod nihilominus in arbitrio Superioris multoties sit positum, ut consideratis, paucitate hominum, necessitate Ecclesiæ, conditionibus temporum, ut quis censeatur aliquando dignus, qui aliàs non esset dignus; eò quod, licet requisita de jure naturæ ac divino semper sint necessaria, nihilominus in arbitrio positum sit discernere, an omnibus pensatis in casu particulari deficiant; quod magis verum dicit respectu eorum, quæ sunt necessaria ex jure positivo.

2. Respondeo secundò: potest tamen Superior habens facultatem dispensandi super jure positivo & pœnis, irregularitatibus, inhabilitatibus jure positivo impositis, indignum confirmare in hoc sensu, quod confirmando talis dispenseret cum tali,

Q3

ac

ac dispensando de indigno faciat dignum. Pass. cit. num. 117.

3. Respondeo tertio: quin & confirmator sciens scientiâ privatâ, maximè haustâ in confessione, electum esse indignum, si aliud nihil obstat, tenetur eum confirmare; eò quòd confirmator sit Judex, & confirmatio procedat ab eo ut Judice, adeoque procedere debet secundum allegata in foro externo. Donat. loc. cit. q. 8. n. 5. de quo vide fusc dicta de non cassanda electione, ex scientia privata indignitatis à Pass. n. 134, 144. & seq. uti & à nobis dicenda §. sequente.

Questio 472. Quas pœnas incurrat confirmans indignum?

1. Respondeo primò: qui indignum (maximè si ob defectû scientiæ, ætatis, honestatis vitæ ac morum indignus est, ut dicitur *c. nihil. de elect.* et si de cetero sint plures defectus & inhabilitates, prout etiam denotat particula *maximè*, quæ secundum propriam significationem est inclusivâ aliorum, Laym. in *cit. c. nihil. n. 2.*) per negligentiam confirmaverit (præterquam quòd ipse actus confirmationis sit nullus, Lott. l. 2. q. 18. n. 53. & indignè promotus, seu confirmatus sit deiciendus, seu privandus Prælaturâ vel beneficio, ad quod confirmatus, ut dicitur *cit. c. nihil.* etiam post factam confirmationem cum cognitione causæ factam, dum postmodum constiterit, eum esse indignum, ut Pirh. ad *tit. de elect. n. 326.* ex Abb. in *cit. cap. nihil. n. 2.*) Primò ipso jure privatus est facultate confirmandi pro illa vice, seu ut habetur in *c. nihil.* primum illius indignè confirmati successorem per novam electionem electum; devolutò electionem immediatè sequentem confirmandi jure ad Superiorem illius confirmatoris immediatum; quamvis Laym. in *cap. cum in cunctis. de elect. §. Clerici sanè. n. 7.* satis insinuet, jus illud confirmandi non secus ac jus instituendi devolvi ad Capitulum (intellige, ubi id culpam non admisit eligendo indignum, & ubi Episcopus non jure devolutò, sed proprio confirmavit indignum; si enim id fecit jure devolutò, Laym. admittit, devolvi institutionem ad Metropolitanum) ob maximam Capituli cum Episcopo conjunctionem, ob quam meritò unius defectus ab altero suppletur. Verùm ob stare videtur, quòd potestas confirmandi, etiam devoluta, videatur in eo, ad quem devolvitur, jurisdictionem supponere, quam non habet Capitulum sede plenâ.

2. Insuper suspendendus est talis confirmator à perceptione fructuum proprii beneficii, quamdiu Superiori (intellige, qui suspensionem intulit. Pirh. loc. cit. num. 325.) visum fuerit, seu ut Barbof. quousque indulgentiam promereatur, Laym. in *cit. c. nihil. n. 2.* Pirh. *cit. n. 325.* Barbof. *cit. n. 253.* citans Lamb. de *jurep. l. 2. p. 3. a. 3.* Cosm. in *pragm. sancti. tit. de elect. v. ea vice.*

3. Respondeo secundò: si verò confirmator scienter per malitiam seu dolum id egerit, gravius puniendus erit, ut dicitur *cit. c. nihil.* nempe pro arbitrio Judicis; cum poena à jure determinata non sit. Pirh. loc. cit. quamvis Barbof. loc. cit. dicat expressè, debere illum deponi, citâtque pro hoc Gl. in *cit. c. nihil. v. deponatur.* Vivian. in *pr. juris. l. 12. c. 7. n. 8.* Lavor. de *elect. c. 25. n. 65.* Firman. de *Episc. p. 2. secunda p. q. 5.* Debet autem dolus hic seu malitia, cum non præsumatur, probari, juxta quod dicitur in *cit. cap. nihil: si vero convictus fuerit indignum confirmasse, & l. quoties. §. 1. ff. de probat. ubi dicitur:*

qui dolo dicit factum aliquid, docere dolum admittum debet. Pirh. *cit. n. 326.* Laym. *cit. n. 2.* qui etiam addit: ceterum ex verisimilibus conjecturis fieri posse præsumptionem de commisso dolo, juxta *l. dolum. c. de dolo. faltem*, ubi quis egit, quod omnes communiter sciunt esse prohibitum; vel non agit, quod scit sibi agendum esse, ut Gl. in *cit. l. dolum.* Tradit tamen Laym. in *c. innotuit. de elect. n. 6.* quòd, si electores elegerint illegitimum, aliòve defectu laborantem, vel indignum, præsumptio sit contra illos, quòd id scienter fecerint; ideoque contrarii probatio illis incumbit. Neque obstat *regula juris* 47. in 6. ignorantia (intellige facti alieni) præsumitur, ubi scientia non probatur: eò quòd hanc patiatur exceptionem: nisi de eo inquirere, & notitiam capere alicui ex officio incumbat, juxta *c. quamvis. de reg. juris. c. ult. de clandest. despons. l. regula. §. sed facti. ff. de juris. & facti ignor.* Sanch. de *matrim. l. 3. d. 42. n. 1.* Quæ autem in *cit. cap. innotuit.* dicuntur de Electoribus, eadem ratione intelligenda de confirmatore & institutore indigni, ait *ibid.* Laym. additque, quòd, tametî poena hæc privationis pro ea vice non incurratur, nisi quis indignum scienter promoveat, ut colligitur ex *cit. cap. innotuit. c. cum Vintoniensis. c. quamquam. de elect.* at tamen ignorantia directè voluntaria seu affectata, si nimirum de industria inermittatur inquisitio, ne defectus appareat, æquiparetur scientiæ, ut Gl. in *cit. c. innotuit. v. ignorantiam.* Anton. de Butrio *ibid. n. 24.* quos citat Laym. uti & seipsum *Theol. mor. l. 1. c. 20. n. 2.*

4. Irrogari quoque easdem pœnas privationis juris confirmandi pro illa vice, & suspensionis à perceptione beneficii confirmantibus indignum electum ad Prælaturam vel beneficium curatum videtur, cum in *cunctis. §. Clerici sanè.* etiam illud *cap. expressè loquatur de eligentibus indignum: & quidem illas pœnas in dicto c. cum in cunctis.* statutas comprehendere quoque confirmatores non Episcopos, seu inferiores confirmantes indignum in beneficio curato vel Prælatura, tradit *ibidem* Laym. n. 8. citato Suar. de *conf. d. 31. f. 2. n. 10.* Utrum verò extendantur quoque ad confirmantes & instituentes indignum in beneficio, quod nec curatum, nec Prælatura est, ait Laym. se non audere affirmare, cum nullus exster Canon, qui id significet, sed tantum de Prælaturis, dignitatibus & beneficiis curatis; & in materia pœnali non liceat facere extensionem; nec ratio sit eadem, cum majus delictum, adeoque gravius puniendum sit, promovere indignos ad majora hæc beneficia; ethi dicat Idem Laym. non paucos Auctores universaliter & indistinctè affirmare, propter collationem, institutionem, confirmationem indigni pœnam illam privationis incurri, & devolutionem fieri ad alium. Et sanè etiam illud *c. nihil.* non loquitur nisi de Prælaturis.

5. Respondeo tertio: si Superior, ad quem pertinet confirmatio, non per seipsum, sed per alium curet nominari & confirmari electum, cui potestatem examinandi & confirmandi commisit; is autem ex malitia seu dolo, vel ex ignorantia seu negligentia confirmet indignum, ipsum Superiorem, seu committentem puniendum esse, quia obligatur ex culpa & dolo commissarii sui (tenetur enim dominus ex facto illorum, quorum operis utitur. *l. 1. ff. de publican.*) nisi tamen ex justa & probabili causâ potestatem delegavit; eò quòd tunc non teneatur ex dolo & malitia commissarii, tradit Pirh. *cit. n. 326.* citans Abb. in *c. nihil. n. 5.*

Qua